

tione quæstioni (quam satis esse difficilem Logicus novit) plenè planeque satisfiat. Quod ipsum volui hac Exercitatione indicare, contra eos qui uno & altero verbo se absolvunt, dum quæritur, an detur Metaphysica.

7. Sed in sequentibus dabo exempla quorundam axiomatum communium, ut meliùs intelligatur, quænam ad Ontosophiam referri possint, quæ non possint & quem usum præstet ejusmodi axiomatum attendita consideratio, qua de re soleo agere sæpiuscule, quòd eò pertinentia multa semper habeam in promptu.

EXERCITATIO LXVI.

An omne quod est, alicubi sit, adeo ut hoc axioma à Deo & Creatura sit abstractum.

I. **U**T intelligatur quo sensu verum sit præscriptum effatum, quamque latè se extendat, explicandum est ejus tum subjectum, tum prædicatum.

2. Subjectum de quo dicitur quòd sit alicubi, non est res intellectualis seu incorporea, sed corporea tantum sive materialis, quæ in longum, latum & profundum